



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 50. Vtrum Deus physicè, metaphysicè necessitetur ad faciendum
optimum ad extra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

litionis, quod habet de facto, & sic posset mutari.

2. Secundò videtur Deus omnia, quæ vult, liberè velle, etiam seipsum, & suam essentiam. Libertas enim est perfectio simpliciter simplex actus voluntatis; sed Deus cum vult se ipsum, habet omnem perfectionem simpliciter simplicem; ergo &c.

3. Respondeo, quod Deus necessariò vult se existere; at non necessariò, sed liberè vult existere alia à se, ita ut possit velle, ut existant, vel non existant, & licet voluerit Mundum existere, potuit velle, ut non existeret, adeoque liberè voluit existentiam Mundi. Probatur prima pars: nam omnis voluntas necessariò vult suam beatitudinem, præsertim si talis beatitudo sit infinitè perfecta, & contineat omne bonum sine vlla admixtione mali, & possit haberi sine vilo labore, ac difficultate; sed Deus per hoc ipsum, quod existat, habet omne bonum sine vlla admixtione mali, & sine vlla difficultate, ac labore; ergo Deus necessariò vult se existere. Probatur secunda pars: nam vnaquæque res per appetitum innatum, vel elicium inclinatur ad duo, ad habendum bonum, & ad illud communicandum; voluntas verò habito bono perfectè sufficiente, & continente omne bonum, eoque communicato communicatione infinitè perfecta, & continente omnem communicationem, potest dicere: *sufficit mihi habere omne bonum, idque summè communicare, nolo illud communicare alia communicatione imperfecta*; potest etiam dicere: *quia habeo omne bonum, ac decet meam bonitatem, ut illud communicem secundum varios gradus, volo illud communicare secundum varios gradus*; sed Deus habet in se ipso bonum sufficientissimum, & continens omne bonum, idque communicat ad intrinsecam communicatione summè perfecta per intellectum Filio, per voluntatem Spiritui Sancto; ergo est liber ad dicendum *sufficit, nolo me communicare ad extrinsecam, vel ad dicendum: quia decet meam bonitatem, ut me communicem non solum ad intrinsecam communicatione perfecta, sed etiam ad extrinsecam communicatione imperfecta secundum varios gradus, volo me communicare, producendo creaturas secundum varios gradus*.

4. Confirmatur, nam voluntas necessariò vult solum finem, cætera verò eatenus necessariò vult, quatenus sunt necessaria ad finem; sed Deus est adequatus finis sui ipsius, & cum sit sibi sufficientissimus, potest habere omne bonum sine existentia vllius extrinseci, adeoque nullum extrinsecum est necessarium ad finem Dei; ergo &c.

5. Ad 1. Ut Deus liberè velit creaturas, non requiritur, ut possit non habere volitionem, sed sufficit, ut volitio possit non terminari certo modo ad creaturas.

6. Ad 2. distinguo maiorem; libertas volendi infinitum bonum est perfectio simpliciter simplex actus voluntatis, nego: libertas volendi bona creata, & finita, concedo maiorem;

concedo minorem; & nego consequentiam. Libertas volendi bonum infinitum non est perfectio simpliciter simplex actus voluntatis, sed solum libertas volendi bona finita, & creata; ergo quia actus diuinæ voluntatis habet omnem perfectionem simpliciter simplicem, Deus per talem actum debet se ipsum velle non liberè, sed necessario, & naturaliter, ac sola bona creata, & finita debet velle liberè.

QVÆSTIO L.

Vtrum Deus physicè, vel metaphysicè necessitetur ad faciendum optimum ad extra?

S. Th. 9. 19. art. 3. & 10.

1. **V**idetur necessitari, primò quia Deus necessitatur ad faciendum id, ad quod iuxta suam naturam habet summam inclinationem; siquidem infinitæ inclinationi non potest resistere; sed Deus cum sit summum bonum, habet infinitam inclinationem ad se summè communicandum ad extra, & ad faciendum optimum ad extra; ergo.

2. Secundò Deus non potest operari nisi honestissimè, ac saltem non potest operari cum imperfectione morali; sed qui liberè omittit facere quod est melius, eo ipso non operatur honestissimè, & contrahit imperfectionem moralem; ergo.

3. Terriò videtur, quod Deus ex suppositione, quod liberè voluerit creare Mundum, non potuerit non creare Mundum optimum. Si enim fecisset Mundum non optimum, posset Deo dici: *opus tuum poterat melius fieri*; sed ille, cui potest hoc dici, eo ipso non operatur ut perfectus artifex; ergo.

4. Quartò valet hæc illatio: *Deus hoc fecit; ergo optimum fuit hoc fieri*; sed non valeret, si Deus omissio meliori, posset facere quod est minus bonum; ergo &c.

5. Quintò Athanasius lib. de Incarnatione Verbi dicit: *absurdum, indecorumque erat eius opera interire, idque sub ipsius artificis conspectu*. Augustinus libro 4. de Genesi ad literam cap. 16. dicit: *benefacere si non posset, nulla esset potentia; si autem posset, nec faceret, magna esset inuidia*. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum post medium dicit: *Cum Deus sit bonus, si cessaret unquam benefacere, Deus quoque esse cessabit, quod nefas est dicere*; sed repugnat metaphysicè, ut Deus faciat aliquod absurdum, & indecorum, ut sit invidus, & ut cesset esse Deus; ergo &c.

6. Respondeo Deum neque physicè, neque metaphysicè necessitari ad faciendum optimum ad extra. Probatur primò: nam si Deus necessitaretur ad faciendum optimum ad extra, cum melius sit creare Mundum, quam non creare, fuisset metaphysicè, vel

X

phy.

physicè necessitatus ad Mundum creandum; sed necessitas physica, vel metaphysica opponitur libertati; ergo Deus necessario, & non liberè creasset Mundum, quod est absurdum, & erroneum.

7. Probatum secundò ratione: nam sicut de essentia summi boni est, ut se summè communicet, sic est de essentia eiusdem, ut habita communicatione summa, & perfectissima, & continente eminenter omnes alias communicationes, possit ea esse contentus, ac non necessitetur ad se ulterius communicandum alia communicatione imperfecta, & ut si voluerit se communicare magis, aut minus, prout illi placuerit: si enim posset esse contentus sine vlla communicatione imperfecta, à fortiori posset esse contentus cum aliqua communicatione imperfecta sine ulteriori communicatione; sed Deus ab æterno se communicat ad intra Filio, & Spiritui Sancto communicatione perfectissima, & infinita, & continente eminenter, ac seclusis imperfectionibus, omnes alias communicationes; ergo Deus posset quiescere, & esse contentus communicatione ad intra; sed si Deus posset esse contentus sola communicatione ad intra sine vlla communicatione ad extra, posset etiā esse contentus aliqua communicatione ad extra sine ulteriori communicatione; ergo Deus posset esse contentus communicatione ad extra, qua se communicet per creationem, absque ulteriori communicatione meliori, qua se communicet per dona gratiæ, & per Vnionem hypostaticam &c.

8. Confirmatur: nam implicat, ut aliqua communicatio sit perfectè sufficiens, ac Deus, illa habita, non possit quiescere, ac dicere, *sufficit: nolo me ulterius communicare*; sed communicatio ad intra est perfectissimè sufficiens; ergo Deus habita communicatione ad intra, potest quiescere, ac dicere, *sufficit: nolo me ulterius communicare*; ergo addita communicatione ad extra per creationem, potest quiescere, ac nolle se ulterius communicare per vnionem hypostaticam &c.

9. Dices: Deus per generationem Filij sufficienter se communicat ad intra, & tamen non potest in illa communicatione quiescere, sed debet necessario procedere ad communicandum se Spiritui Sancto; ergo potest dici, quod licet Deus per generationem Filij, & Spiritui Sancti sufficienter se communicet ad intra, tamen non potest in tali communicatione quiescere, sed debet necessario se communicare ad extra per creationem, per dona gratiæ, & per vnionem hypostaticam.

10. Respondeo, distinguo antecedens: Deus per generationem Filij sufficienter se communicat in omni genere, in quo natura diuina est perfectissimè, & sine imperfectione communicabilis, nego: in genere solum communicationis per intellectum, concedo; & nego consequentiam. De ratione infiniti bo-

ni est, ut non possit quiescere, nisi se communicauerit infinitè, & sine imperfectione in omni genere, in quo secundum suam naturam, potest se infinitè communicare; sed natura intellectualis potest se communicare non solum per intellectum, sed etiam per voluntatem; ergo de ratione infiniti boni est, ut non possit quiescere, nisi se infinitè, & sine imperfectione communicauerit non solum per intellectum, sed etiam per voluntatem; sed etiam est de ratione infiniti boni, ut habita communicatione sufficienti, ac infinita, & sine imperfectione in omni genere, in quo natura intellectualis est communicabilis, possit in ea quiescere, ac dicere, *sufficit*; ergo Deus habita communicatione ad intra per intellectum, ac voluntatem, potest quiescere, ac nolle se communicare ad extra communicatione finita, & imperfecta.

11. Probatum tertio conclusio auctoritate. Nam Patres, & Scholastici communiter licet dicant, supposito peccato, melius, & conuenientius fuisse, ut homo lapsus repararetur per Incarnationem, quam sine Incarnatione, tamen asserunt Deum potuisse hominem lapsum etiā sine Incarnatione reparare; ergo docent Deum neque physicè, neque metaphysicè necessitari ad optimum, sed posse etiam facere quod est minus bonum, minusque conueniens. Probatum antecedens, afferendo aliqua testimonia Patrum. Primo Athanasius Oratione 3. contra Arrianos post medium dicit: *Poterat sine vllò aduentu Christi solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem. Ceterum spectandum est hic, quid hominibus sit utile, non quid sit in viribus Dei.* Secundo Nazianzenus Epistola 1. ad Cledonium, quæ est Oratio 31. dicit: *Ut interim non dicam alio quoque modo fieri potuisse, ut nobiscum versaretur, quemadmodum prius ignis rubo, & forma humana, videlicet specie hominis non à natura ipsa personaliter vnita.* Tertiò Augustinus lib. 13. de Trinitate, cap. 10. & refertur hic à S. Thoma quæst. 1. art. 2. dicit. *Verum etiam ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati omnia equaliter subiacerent, sed sananda miserie nostre alium modum conuenientiorē non fuisse.* Et lib. de Agone Christiano cap. 3. dicit: *Sunt autem stulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei hominem reparare, nisi susciperet hominem? quibus dicimus, poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestra stultitia displiceret.* Bernardus Epist. 190. ad Innocentium propè finem, ostendit Deo ad manum fuisse alios, & alios modos nostræ Redemptionis. Idem docent alij Patres, qui videri possunt apud Ruiz, de Voluntate Dei, disp. 7, sect. 4. cosque sequuti sunt Scholastici, cum Magistro, & S. Thoma, quos refert Vasquez hic disp. 1. cap. 4. num. 12.

12. Inferitur primò, quid dicendum sit de alijs opinionibus. Primò aliqui dixerunt Deum necessitari ad faciendum optimum ad extra; & quia existimauerunt ea, quæ Deus de facto facit, esse optima, docuerunt Deum necessitari ad faciendum omnia, quæ de facto facit,

cit, ac proinde negarunt Deo libertatem arbitrij. Pro hoc errore referuntur Aristoteles, Theophrastus, Averroes, Avicenna, Porphyrius, vt videre est apud Albertum in lib. de causis. Ruiz tamen de Voluntate Dei disp. 7. sect. 5. existimat Aristotelem in hoc puncto fuisse dubium, & inconstantem, & aliquando negasse, aliquando concessisse Deo libertatem. Ex Christianis in eodem errore fuit Petrus Abailardus. & Vuicleffus, qui vt refert Vualdenfis lib. 1. Doctrinalis cap. 10. docuit Deum non posse facere nisi ea, quæ facit. Vuicleffo subscripsit Lutherus art. 36. Bucerus etiam lib. de concordia Doctrinæ Christianæ, cap. de libero arbitrio, & Caluinus lib. 1. Institut. cap. 16. Par. 3. docuerunt Deum agere necessario quicquid potest agere, nec posse cessare ab eo, quod facit, nec aliud facere posse, vt refert Bellarm. Tom. 3. lib. 3. de Grat. & lib. arb. cap. 15.

13. Secundò aliqui videntur docuisse Deum potuisse quidem operari, vel non operari ad extra, sed ex suppositione, quod voluerit ad extra operari, non potuisse non facere Mundum optimo modo se habentem; & quia Mundus de facto optimo modo se habet, non potuisse aliter Mundum disponere, ac de facto disposuerit, neque alia creare, quam creauerit.

14. Contra hos errores certum est Deum non solum potuisse operari, vel non operari ad extra, creare Mundum, vel non creare, sed etiam posito, quod vellet creare Mundum, potuisse res aliter disponere, quam disposuerit, ac multa facere, quæ non facit. Nam, eatenus Deus hoc non posset, quatenus necessitaretur ad faciendum optimum ad extra; sed non necessitatur, vt probatum est num. 6. & sequ. ergo.

15. Confirmatur ex Scriptura, & Patribus expressè docentibus Deum, posita etiam creatione Mundi, posse facere multa, quæ non facit. Sapient. 11. *Non erat impossibilis manus tua immittere illis multitudinem virorum, aut audaces leones.* Matt. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Marci 14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me.* Matth. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Augustinus lib. de Spiritu, & litera cap. 1. *Omnipotens voluntas multa potest facere, quæ non vult, nec facit. Potuit enim facere, vt duodecim legiones Angelorum pugnarent contra illos, qui Christum ceperunt.* In Enchirid. cap. 95. *Nunc in clarissima luce sapientia videbitur, quam multa possit, & non velit, nihil autem velit quod non possit.* Damascenus lib. 1. de Fide in fine docet. *Deum omnia quacunque vult, posse, non autem quacunque potest, velle: nam potest quidem perdere Mundum, non vult autem.* Vide alia testimonia apud Ruiz disput. 7. cap. 4. vbi affert etiam auctoritatem Scholasticorum.

16. Inferitur secundò, quid dicendum sit in quæstione, in qua quæritur, vtrum Deus ha-

beat liberum arbitrium? Negauerunt aliqui Theologi, quia putauerunt de essentia liberi arbitrij esse, vt voluntas possit eligere bonum, vel malum, & vt etiam post primam electionem possit verti ad vtramque partem contradictionis; sed hæc repugnant Deo; ergo &c. Dicendum cum S. Thoma quæst. 19. art. 10. alijsque communiter, non esse de essentia liberi arbitrij, vt possit peccare, ac mutari, & verti, adeoque Deum habere liberum arbitrium. Ratio est, quia liberum arbitrium ex suo cōceptu est perfectio simpliciter simplex, ac proinde non includit vllam imperfectionem: sed peccabilitas, & mutabilitas sunt imperfectiones; ergo liberum arbitrium non includit peccabilitatem, nec mutabilitatem, sed solum importat indifferentiam eligendi hoc, vel illud. Ideò optimè Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. vltimo dicit: *Deus ipse quoniam peccare non potest, nunquid liberum arbitrium habere negandus est?*

17. Sed potest quæri primò, vtrum libertas Dei, qui non potest peccare, sit maior, vel minor, quam libertas creaturæ, quæ potest peccare?

18. Respondeo, quod Suarez opusc. 4. de libertate Diuina disp. 2. sect. 1. Vasquez 1. part. quæst. 19. art. 10. in eius commentario, & alij dicunt libertatem creatam, quæ peccare potest, esse maiorem extensiuè, sed minorem intensiuè libertate diuina, quæ peccare non potest. Dicendum, quod non solum libertas diuina est intensiuè, & simpliciter maior, sed etiam non est extensiuè minor libertate creatæ. Ratio est, quia libertas est in genere potentia, non autem in genere impotentia; ergo non est extensiuè maior ex eo præcisè, quod habeat adiunctam impotentiam; sed potentia peccandi, in quantum conuenit creaturis, & non Deo, est quædam impotentia; ergo libertas diuina non est minor etiam extensiuè ex eo, quod non habeat adiunctam potestatem peccandi. Confirmatur: nam Deus ex eo, quod non possit peccare, & mentiri, non est minus potens extensiuè, & non ex alia ratione, nisi quia potentia peccandi, & mentiendi spectat ad impotentiam, & defectum; ergo &c. Ideo Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 15. dicit: *Magna diuini Verbi potentia est non posse mentiri, quia non potest esse illi est, & non, sed est, est, non, non: & lib. 5. de Ciuit. cap. 10. Neque potestas Dei minuitur, cum dicitur mori, fallique non posse; sic enim hæc non potest, vt si posset, minoris esset vtiq; potestatis &c.* Videri etiam potest Anselmus Dialog. de lib. arb. cap. 1.

19. Quæri potest secundò, vtrum Deus sit liber ad purè omittendum?

20. Respondeo negatiuè. Ratio est, quia vt dixi in Tractatu de Scientia Dei, quæst. 46. num. 35. ad perfectionem diuinæ voluntatis spectat, vt circa nullum obiectum proponibile possit remanere quodammodo suspensio, ita vt nihil decernat; sed si purè omitteret, re-

maneret quodammodo suspensa, & ita, vt nihil decerneret; ergo &c.

21. Quæri potest tertio, vtrum Deus in aliquo sensu semper faciat optimum, ita vt metaphysicè necessitetur ad faciendum optimum?

22. Respondeo affirmatiuè. Probat, & explicatur. Primo dici potest, quod Deus habet pro fine suam gloriam; & quia gloria definitur *clara notitia de aliquo cum laude*, Deus habet pro fine manifestationem sui ipsius, per quam cognoscatur, & laudetur: sed manifestatio Dei potest esse maior, & maior, ac proinde melior, & melior in infinitum, cum Deus sit infinite cognoscibilis; ergo non est possibilis maxima, & optima manifestatio, & cognitio Dei, & Deus non potest intendere maximam, & optimam manifestationem sui, sed solum debet intendere aliquam determinatam sui manifestationem, qua posset dari maior, & melior manifestatio. Posito tamen, quod intenderit tantam sui manifestationem, fecit Vniuersitatem rerum optimam, hoc est aptissimam ad tantam Dei manifestationem, ita vt ad tantam manifestationem non possit dari vniuersitas melior, & aptior, licet dari possit Vniuersitas melior secundum se, hoc est aptior ad maiorem Dei manifestationem, & gloriam. Secundo potest dici Deum semper facere optimum relatè ad diuinam operationem, licet non faciat optimum relatè ad rem factam. Explicatur. Deus non fecit Mundum optimum secundum se, siquidem potuisset facere Mundum meliorem, in quo nimirum essent plures, & perfectiores creature, puta perfectiores Angeli, Gratia, & Beatitudo intensiùs maior. Immo quia non est possibilis creatura, Gratia, & Beatitudo omnium perfectissima, repugnat Deum facere optimum relatè ad res factas. At Deus semper facit optimum relatè ad honestatem diuinæ operationis; siquidem omnes diuinæ operationes sunt infinite, & æqualiter honestæ, ac proinde optima in genere honestatis, vt magis explicabitur in responsione ad 2.

23. Tertio potest dici Deum semper facere optimum quasi consequenter, & relatè ad primam regulam. Explicatur. Optimum dicitur, quod est maximè conforme primæ regulæ; sed prima regula est voluntas Dei, & quicquid Deus facit, est maximè conforme diuinæ voluntati, qua efficaciter Deus vult illud facere; ergo.

24. Addo Deū necessitari metaphysicè ad faciendum optimum tribus explicatis modis; siquidem implicat, vt Deus non faciat optimum, & aptissimum ad tantam manifestationem sui efficaciter intentam, & non faciat per operationem honestissimam, & vt quicquid Deus facit, non sit summè conforme primæ regulæ, hoc est voluntati, qua efficaciter vult illud facere.

25. Ad 1. Distinguo maiorem: Deus non potest non facere id, ad quod determinatè fa-

ciendum habet inclinationem infinitam, non solum entitatiuè, sed etiam terminatiuè, concedo: ad quod non solum faciendum, sed etiam omittendum habet inclinationem dis-iunctiuam infinitam solum entitatiuè, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deus non potest non facere, vel non producere id, ad quod producendum habet inclinationem determinatam, ita vt nullam habeat inclinationem ad illud non producendum; & quia Deus habet infinitam inclinationem determinatam ad se communicandum ad intra, ita vt nullam habeat inclinationem ad se non communicandum ad intra, ideo Deus non potest non se communicare ad intra, generando Filium, & producendo Spiritum Sanctum. At Deus potest non facere id, ad quod non solum faciendum, sed etiam omittendum habet inclinationem inclinationem dis-iunctiuam; sed Deus antecedenter ad suam liberam electionem habet infinitam inclinationem dis-iunctiuam ad se communicandum ad extra, vel ad quiescendum in sufficientissima communicatione ad intra sine ulla communicatione ad extra; ergo &c. Si verò quæatur, quare Deus ad se communicandum ad intra habeat infinitam inclinationem determinatam, ad se communicandum ad extra habeat infinitam inclinationem dis-iunctiuam, dicendum, quod cum communicatio proponitur à diuino intellectu, tanquam infinite conueniens summo bono, negatio communicationis proponitur vt penitus inconueniens, Deus infinite inclinatur determinatè ad se communicandum, & nullo pacto inclinatur ad abstinendum à summa communicatione; sed communicatio ad intra à diuino intellectu proponitur tanquam simpliciter infinita, & infinite conueniens summo bono, negatio communicationis proponitur vt omnino inconueniens; ergo &c. E conuerso cum communicatio proponitur vt simpliciter finita, & finite conueniens summo bono, ac etiam negatio communicationis proponitur vt conueniens, licet minus conueniens, Deus, qui inclinatur ad omne bonum, & ad omne conueniens, non solum inclinatur ad se communicandum, sed etiam ad se non communicandum; sed communicatio ad extra proponitur vt finita, & creata, & vt finite conueniens, & etiam negatio communicationis ad extra, per quam Deus quiescat in communicationibus ad intra, tanquam sufficientibus, proponitur vt conueniens; ergo &c. Hinc sequitur inclinationem, qua Deus inclinatur ad se communicandum ad intra, esse infinitam non solum entitatiuè, sed etiam terminatiuè; cum non solum sit infinita ex parte ipsius inclinationis, sed etiam ex parte termini; siquidem est inclinatio ad communicationem infinitam, & infinite conuenientem Deo. E conuerso inclinatio, qua Deus inclinatur ad se communicandum ad extra, est infinita quidem entitatiuè, cum identificetur cum diuina essentia, quæ

quæ est infinita, sed est terminatiue finita, cum sit ad communicationem extrinsecam, & creatam, quæ est finita. Hinc ulterius sequitur Deum ex parte ipsius inclinationis æquè inclinari ad bonum minus, ac ad maius, cum ad vtrumque inclinetur eadem inclinatione, identificata cum essentia diuina: at ex parte termini inæqualiter inclinatur, cum inclinetur ad vnum terminum extrinsecum vt meliorem, magisque conuenientem, ad alium terminum vt minus bonum, minusque conuenientem. Proportionaliter S. Thomas 1. part. quæst. 20. art. 3. docet Deum omnia æqualiter amare ex parte actus amoris, inæqualiter ex parte boni voliti.

26. Dices: infinite inclinationi Deus non potest resistere; sed si Deus omitteret maius bonum, resisteret infinite inclinationi, quæ inclinatur ad illud faciendum; ergo &c.

27. Respondeo, negando minorem. Quando enim aliquis eadem simplici inclinatione inclinatur disiunctiue ad duo, cognoscens, quod vtrumlibet eligat, optimè se habebit, ex eo, quod eligat vnum, non resistit tali inclinationi; sed Deus hoc pacto se habet; ergo &c. Nos è conuerso, cum proponuntur plura bona, diuersis, & particularibus inclinationibus ad illa inclinamur, & sic in nobis ipsis quodammodo diuidimur, & trahimur in partes contrarias; ideoque cum eligimus vnum incompossibile cum altero, resistimus inclinationi, qua inclinamur ad aliud.

28. Ad 2. concedo maiorem, & distinguo minorem: qui liberè omittit quod est melius, & magis conueniens, eo ipso non operatur honestissime, si per hanc liberam omissionem minus benè se habeat ad suum vltimum finem, ad primam regulam, & ad summam bonitatem, concedo; si non minus benè se habeat, nego minorem, & nego consequentiam. Electio, & operatio libera dicitur honesta per hoc, quod per illam eligens benè se habeat ad vltimum finem, ad primam regulam, & ad summam bonitatem, licet minus benè se habeat ad aliquod aliud; sed Deus per quamcumque suam liberam electionem, & operationem, optimè se habet ad se ipsum, qui est vltimus finis, primà regula, & summa bonitas; ergo &c. E conuerso creatura cum eligunt minus bonum, minus benè se habent ad vltimum finem, ad primam regulam, & ad summam bonitatem, quam si eligerent maius bonum, ideoque operantur minus benè, & honestè.

29. Ad 3. distinguo maiorem: Deus ex suppositione, quod voluerit Mundum producere, non potuit non producere Mundum optimum, quantum sufficit ad hoc, vt manifestet, quod Mundus non potuit fieri, nisi ab Artifice potentissimo, & sapientissimo, & optimo, concedo: ita vt non possit hoc ipsum melius manifestare, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deus ex suppositione, quod voluerit Mundum pro-

ducere, debuit producere Mundum optimum, hoc est sufficientem ad manifestandum, quod Mundus non potuerit fieri, nisi ab Artifice potentissimo, sapientissimo, & optimo. At non necessariò debuit producere Mundum optimum in alio sensu. Hinc sequitur, quod etiam si Deus fecisset Mundum sine Incarnatione, operatus fuisset vt Artifex perfectissimus. Artifex enim dum facit opus, quod euidenter non potest fieri, nisi ab Artifice perfectissimo, operatur vt artifex perfectissimus, licet appareat, quod talis Artifex potuisset, si voluisset, facere opus magis perfectum.

30. Dices: tunc aliquis non operatur vt Artifex perfectissimus, cum potest illi dici, *Opus tuum potuit melius fieri*; sed Deo posset hoc dici; ergo &c.

31. Respondeo, distinguo maiorem: cum potest dici, opus tuum potuit melius fieri aduerbialiter ex parte facientis, hoc est potuit fieri maiori potentia, sapientia, & bonitate, concedo: melius nominaliter ex parte rei factæ, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Si Deus fecisset Mundum sine Incarnatione, posset Deo dici, *Mundus potuisset fieri melior*, sed non posset dici, *Mundus potuisset fieri melius aduerbialiter*, hoc est maiori potentia, sapientia, & bonitate; sed eo ipso, quod Artifici posset dici: *Opus tuum non potuit fieri melius*, hoc est maiori potentia, sapientia, & bonitate, talis Artifex operatur vt Artifex perfectissimus, licet posset illi dici: *tanta est tua potentia, sapientia, & bonitas, vt potueris facere opus melius, & perfectius, quamuis ex tua libertate nolueris illud facere*. Videri potest S. Thomas 1. parte quæst. 25. art. 6. ad 1.

32. Ad 4. concedo maiorem, & nego minorem. Hoc Enthymema: *Deus hoc fecit; ergo optimum fuit hoc fieri*, vt formetur in syllogismo, & concludat, sufficit, vt subintelligatur hæc maior: *Deus semper non ex necessitate, sed ex perfectissima libertate, facit id, quod optimum est fieri*, nec requiritur, vt subintelligatur hæc alia maior: *Deus semper, & ex necessitate facit id, quod optimum est fieri*; ergo vt illa illatio valeat, non requiritur, vt Deus necessitetur ad faciendum optimum.

33. Ad 5. ex auctoritate quorundam Patrum, respondeo, quod quia iidem, alique Patres alijs in locis expressè dicunt, Deum potuisse Mundum non creare, & supposita creatione, potuisse permittere, vt humanum genus propter peccatum Adam sine remedio periret, dum videntur docere oppositum, explicandi sunt ita, vt sibi ipsis non contradicant. Dicendum igitur, quod quia infideles ex eo, quod nobis hominibus videatur indecens, vt Deus summus nostram carnem assumeret, & pro nobis moreretur, asserabant hoc verè fuisse indecens, Athanasius ex eo, quod videatur indecens, vt Deus permittat totum genus humanum sine remedio perire, dicit hoc fuisse indecens, & absurdum, licet non fuerit verè indecens, & absurdum, sed solum secundum quam-

quamdam apparentiam. Similiter quia videtur inuidia quædam repugnans summæ bonitati, ut Deus si potest benefacere, non benefaciat, Augustinus dicit, fore inuidiam, si Deus non benefaceret, & Clemens Alexandrinus dicit fore inuidiam, & contra summam bonitatem, si Deus aliquando à benefaciendo cessaret. Addo, quod si Deus non benefaceret ex defectu perfectæ inclinationis ad benefaciendum, esset invidus, ac non esset summè bonus, ac proinde non esset Deus; & in hoc sensu loquuntur Augustinus, & Clemens Alexandrinus.

QVÆSTIO LI.

Virum Deus in ijs, in quibus non proceditur in infinitum, semper faciat optimum formaliter, hoc est id, quod est melius, & convenientius ad perfectionem Vniuersi?

1. **V**idetur, quod non, primò, quia Mundus esset formaliter perfectior, si in eo essent infinitæ, immò omnes species possibiles entium, præsertim substantialium, & intellectualium, putà Angelorum; sed Deus creauit species solum finitas; ergo &c.

2. Secundo Mundus esset perfectior, si aliqui beati, saltem anima Christi videret Deum visione infinitè intensâ; nam sic Deus infinitè glorificaretur; sed non dedit Christo visionem infinitè, sed solum finitè intensam; ergo &c.

3. Tertiò melius fuisset ad perfectionem vniuersi, ut mundus crearetur ab æterno, quam in tempore; sed creatus fuit non ab æterno, sed in tempore; ergo &c.

4. Quartò melius fuisset, ut tres Personæ diuinæ assumerent tres naturas intellectuales, quam ut vna Persona assumeret vnâ tantum naturam humanam; sed illud non est factum; ergo. Si verò dicatur, quod debuit vna tantum natura assumi, ut vna tantum natura creata haberet rationem capitis intrinseci vniuersi, ne mundus haberet duo capita, & sic esset monstrosus: contra est, quia saltem melius fuisset, ut vna natura assumeretur à tribus Personis diuinis, quam ab vna tantum, & assumeretur potius natura Angelica, quam humana.

5. Quintò melius fuisset, ut omnes homines, & Angeli prædestinarentur, & saluarentur, vel saltem fuisset melius, ut tum ex hominibus, tum ex Angelis plures prædestinarentur, quam reprobandentur, & damnarentur; sed de facto ex hominibus multo plures sunt reprobi, quam prædestinati; ergo &c.

6. Sextò melius fuisset ad perfectionem vniuersi, ut Deus nulla peccata permisisset, vel saltem permisisset pauciora, quam de facto permisit; ergo &c.

7. Respondeo, posito, quod Deus, ut di-

ctum est quæstione 30. proximè præcedenti, neque metaphysicè, neque physicè necessitetur ad faciendum optimum, quæritur, vtrum de facto ex sua libera voluntate semper faciat optimum, & id, quod est magis conueniens, an potius aliquando, omisso meliori, faciat minus bonum, minisque conueniens? Quæritur rursus, an Deus necessitate aliqua morali, & coniungibili cum libertate necessitetur ad semper faciendum optimum, ac magis conueniens? Primum punctum examinabimus hac, & sequenti quæstione; secundum quæstione ab hac tertia.

8. Prima sententia Ruiz de voluntate Dei disput. 9. sect. 3. & sequentibus, Iacobi de Granada in 1. partem, Tractatu secundo de voluntate Dei, disp. 3. & aliorum, docet Deum in ijs generibus rerum, in quibus datur optimum, ac non proceditur in infinitum in melioribus, & melioribus, semper velle, & facere illud bonum, quod in ordine ad vniuersitatem rerum est simpliciter optimum, & quadam necessitate morali, & coniungibili cum libertate necessitari ad eligendum optimum.

9. Secunda sententia communior, quam sequitur Cardinalis de Lugo disput. 2. de Incarnat. sect. 1. num. 2. docet, Deum neque moraliter necessitari ad faciendum optimum.

10. Dicendum Deum fecisse mundum, formaliter optimum, licet materialiter non sit optimus, sed potuisset esse materialiter melior, ac semper facere optimum in ordine ad perfectionem formalem, non autem materialem mundi.

11. Probatur primò, & explicatur. Ad perfectionem enim formalem vniuersi spectat, ut in eo dentur actu, vel potentia, in virtute nimirum causarum secundarum, omnes ordines, omnia genera, & omnes species rerum, cum suis proprietatibus, & accidentibus, donec perueniant ad ea, in quibus proceditur in infinitum, absque exigentia sistendi in hoc potius, quam in illo, & ut hæc ordinentur optima proportionem secundum numerum, & quantitatem tum extensiuam, quæ dicitur mensura, tum intensiuam, quæ dicitur pondus, & est ipsa perfectio rerum: ad perfectionem autem materialem vniuersi spectat, ut cum peruentum fuerit ad ea, in quibus proceditur in infinitum, absque exigentia sistendi in hoc potius, quam illo, adhuc procedatur vterius; sed Deus de facto creauit vniuersum, in eoque posuit omnes ordines, & gradus rerum, nimirum ordinem naturæ, ordinem gratiæ, ordinem vniuersi hypostaticæ, elementa, quæ sunt in gradu infimo, mixta inanimata, plantas, animalia irrationalia, homines, Angelos, ac plures species corporum inferiorum, animalium, plantarum &c. posuit etiam omnes species Angelorum, quas vniuersitas exigit cum suis accidentibus, & proprietatibus; atque hæc omnia optimè disposuit in numero, magnitudine, perfectione, ac Mundum terminauit in ijs, in quibus proceditur in infinitum, absque